

quod mibi tua Te Virtus illustrem fecerit.
Quin usque ab ineunte etate tua Te noveram.
Itaque cum adhuc in Collegio Clementino de-
geres inter ceteros sodales tuos, qui & ipsi
magnam de se spem portendebant, & plu-
rimum re vera Civium suorum splendori
contulcrunt, Te unum praesertim sum ad-
miratus, & vix e nobilissimo illo conviclu
egressum Te adii, rogavique; ut me in tuo
rum Numero scriberes: ejusmodi enim tui
Ipsius specimen dederas, ut quid de Te bre-
vi futurum esset, animo jam praesentirem.
Nec mea me decepit opinio. Vidimus Te,
Princeps Eminentissime, cum ad administran-
dam Rempublicam accessisses, Prolegationis
Bononiensis munere insignitum, in qua ta-
lem Te praestitisti, ut merito apud omnes
ordines amplissimam laudem sis consequetus,
& dignum Te Roma existimaverit, qui in
Populorum Regimine occupareris; donec SS.
Pontifex BENEDICTUS XIV. qui Eccle-
siam Bononiensem antea regens in admiratio-
nem Tui quam maxime jam se erexerat, cum
res posceret Virum Generis splendore, mo-
rum suavitate, Consilio, & Prudentia pre-
stantem, qui Francofurtum ad Comitia
pro eligendo Cæsare Pontificius Orator mit-
teretur, Te unum potissimum designavit.

Quid